



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

57. An qui dat, vel promittit iudici, ut causam expediat, incidat in poenas
dictae Bullae? Ex p. 7. tract. 4. resolut. 9.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

hūque ambiunt. Hæc Dicastillus. Vide etiam Sanch. in epist. tom. 1. lib. 2. cap. 3. d. 106. a. 5. ubi tenet, quod licet non sit completa promissio, inciditur in penas nostræ Bullæ Gregorianæ, si aliquid promittatur pro iustitia, vel gratia.

RESOL. LIV.

An ad inveniendas penas dictæ Bullæ Gregorianæ sufficiat, ut donum attingat quantitatem sufficientem ad constituendum peccatum mortale furti? Ex p. 7. tr. 4. Resol. 6.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Bonacina tom. 3. disp. 2. q. 3. pum. 31. n. 13. Tum quia Summus Pontifex absolute, & sine distinctione has penas inungit dantibus, vel accipientibus, promittentibus, vel acceptantibus aliquid parvum, vel magnum; ubi autem jus non distinguit, neque nos distinguere debemus, nisi adsit iustificans ratio distinguendi, tum quia ad has penas incurrendas, eam rem sufficere censendum est, quæ in materia furti, vel sacrilegij, aut in aliis materiis notabilis iudicatur, nec inconveniens est dicere id, quod est notabile & magnum, in materia aliarum virtutum conferri magnum, aut saltem parvum in hac materia, juxta mentem Summi Pontificis, prohibentis etiam promissionem rei parvæ; tum quia ferè numquam constaret aliquem his penis irretitum esse, si certa rei quantitas ad has penas incurrendas aliquid notabile censetur in materia furti, quia est contra domini voluntatem (furtum enim est rei alienæ invito domino) illique notabile incommodum affert spectatis regulis à nobis assignatis, in tractatu de restitutione. Ergo illud idem censetur notabile, aut saltem parvum, secundum hujus Extravagantis tenorem, quod est juxta recipientis voluntatem, illique notabile commodum afferre potest. Cæteras rationes videbis apud ipsum Bonacinam.

2. Sed his non obstantibus mihi placet opinio asserentium materiam constituentem peccatum mortale in terminis Bullæ citatæ esse relinquendam prudentis arbitrio; spectata, tum qualitate, dantis, & accipientis, tum gravitate gratiæ, aut iustitiæ de qua agitur, & aliis circumstantiis. Ita Molina suprâ. Azor. Navarr. citati, Menochius de arbitrariis, lib. 2. cent. 2. casu 145. num. 4. Boccacius 1. par. de pactis, n. 31. Ideo juxta hæc sententiam non est admittenda quantitas, quæ alias sufficeret ad mortale furti, sed an res ejus momenti sit, quæ allicere possit, & pervertere accipientem. Si enim talis non sit, non censendum erit dantes, aut accipientes penas incurrere. Addit Navarrus consequenter posse contingere inter personas tales tali loco, & tempore, ut date equum, non videatur sufficiens ad movendum, seu flectendum animum recipientis spectatis prædictis circumstantiis. Causa autem finalis hujus Extravagantis condendæ fuit, ne gratia, vel iustitia muneribus obtineretur; & hic, & nunc fieri potest, ut vim non habeat largitio unius equi.

3. Nec obstant contraria argumenta Bonacinæ: nam ad illa copiose, & doctè respondet Dicastillus de iust. lib. 2. tract. 1. disputat. 5. dub. 7. num. 203. & sequent. Ad illum, & non pigebit. Vide etiam nostrum P. Leonem de cens. resolut. 4. lit. B. ver. dantes, ubi Bonacinam impugnât, & docet secundum Sanctarellum non incurrî censuras propter largitionem duorum, vel trium aureorum.

RESOL. LV.

An Cardinales includantur in penis dictæ Bullæ Gregor. X. II? Ex p. 7. tr. 4. Ref. 7.

§. 1. **R**espondeo probabiliter sustineri posse Cardinales nulla in parte ligari hac constitutione, cum sit pœnalis hæc constitutio, & odiosa, & in odium ligatis Cardinalibus non veniant nomine Clericorum, nec ligentur legibus pœnalibus, nisi exprimentur, quamvis legentur legibus divinis & naturalibus. Ita Bonacina pœnal. tom. 3. disp. 2. q. 3. pum. 31. n. 16. Dicastil. de iust. lib. 2. tr. 1. d. 106. disp. 5. dub. 7. n. 236. Licet asserant & merito affirmativam sententiam esse tutiorem & probabiliorem, omnibus omnino pœnis illius Constitutionis ligati Cardinales, quia Cardinales comprehenduntur in Bullis, quando id quod prohibent est per se malum, aut erat, aliquo jure communi interdictum: sed in nostro casu prohibetur id quod erat vetitum de jure communi apud Extravagantem Bonifacij VIII. Ergo Cardinales in illa & nostra constitutione comprehenduntur: non adeo tamen contrariam sententiam tanquam improbabilem dampnare, & ego illam teneo cum Molina, & Navarro quoad penam beneficiorum, & officiorum obtentorum. Item à pena infamiz, & inhabilitatis ad beneficia, & officia, quia non est vetisime Papani viros tam qualificados tam gravi pena punire.

RESOL. LVI.

An incidat in penas dictæ Bullæ promittens vel danti aliquid pro iustitia auferenda, vel differenda? Ex p. 7. tr. 4. Ref. 8.

§. 1. **N**egativè respondet Farinacius p. 3. q. 111. numer. 351. ubi sic ait: Quando pecunia daretur, & reciperetur non pro iustitia obtinenda, sed pro ea differenda, aut auferenda, secundum Ioan. Imol. Menac. in d. Extravag. 1. de sent. excom. in verbo sub generalibus, post med. vers. unde dato. Duplici motus ratione. Primò, quia lex loquens in uno casu non trahitur ad alium, & commodissime ff. de liber. & posthum. cap. si septem, de rescript. in 6. Secundò, quia pœnalis constitutio extendenda non est, cap. penas, dist. 1.

2. Sed contrarium docet Scortia in Bullis Pontificis Epitom. 125. Theorem. 333. Filiucius tom. 1. tract. 15. cap. 6. numero 133. Boccacius de pactis part. 3. numero 77. & alij: quia qui dat aliquid pro iustitia auferenda vel differenda, obtinet gratiam. Ergo ligatur pœnis Bullæ.

RESOL. LVII.

An qui dat, vel promittit iudici, ut causam expediat, incidat in penas dictæ Bullæ? Ex part. 7. tract. 4. Ref. 9.

§. 1. **N**egativam sententiam tenet Farinacius par. 3. q. 111. n. 350. quando quis cum Iudice pacificetur aliquidve ipsi daret, aut promitteret, ut citius causam expediret, quam aliàs faceret, sine tamen aliquis præjudicio, & cum vera animi sinceritate, ut non ad alium effectum, nec ad iudicem corrumpendum sic dederit, aut promiserit. Tunc enim pactionem hanc jure naturæ non esse prohibitam, nec in foro foris, nec in foro poli probat Navar. in Constit. Greg. XIII. in 9. notabili num. 16. vers. Pactio vero facta ob causam

secundam. ubi propterea infert isto casu non succedere pœnas dictæ constitutionis, nisi agatur de causa spirituali.

2. Verum affirmativæ sententiæ adheret Bonacina tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 31. n. 14. & Scortia in Bull. Pontif. Epitom. 125. Theorem. 333. sed licet hæc sententia sit probabilior, opinionem tamen Fatuacij puto probabilem, & tanquam probabilem etiam admittit Dicastillus de iust. lib. 2. tr. 1. disp. 5. dub. 7. n. 210.

RESOL. LVIII.

An si quis post impetratam gratiam, & iustitiam donec aliquid etiam si non sit moderatum, sed excessum, incidat in penas dictæ Bullæ?

Et an habeat locum pena hujus Constitutionis extra Curiam Romanam, unde si aliquid daretur Neapoli pro obtinenda gratia à Sede Apostolica, evitaretur hæc pena?

Et an pena lata in Bulla Greg. XIII. non spectent etiam ad iudices legatos citra Romanos? Ex par. 7. tract. 4. Ref. 10.

§. 1. Negativè respondet Boccacius tract. de pactis, p. 3. n. 78. ubi sic ait: Sed nunquid sine parabola præcedente potest dari aliquid promotori negotio completo, Ioannes Monach. in dicta quarta glossa arguit primò, quod sic, allegat l. Attilius Regul. ff. de donat. & lib. 1. §. si verò, ff. de variis, & extr. cogniti. & cap. dilectus in 2. de simonia, in fine; ibi illud tamen gratanter recipi poterit quod fuerit sine taxatione gratis oblatum, & in c. 8. in fi. dist. 18. & c. 4. q. 1. alleg. 2. Ioan. Monach. c. fin. 1. q. 1. & quæ dicta sunt sup. n. prox. 77. sed ea non loquuntur de datione facta post finitum negotium, sed in calumniando, & differendo negotium non finitum, & sequitur Navar. Ioan. Monach. sup. constit. Greg. n. 31. ubi multa allegat contra, quibus respondet, & confirmat dicta per Ioan. Monach. vers. de his non obstantibus, dummodo quæ dantur sint moderata. Ita Boccac. cui adde Farin. to. 3. q. 111. n. 348. & Ioan. Ant. in Sum. Bullar. p. 2. tit. De Dato, & Promissis, & c. n. 14. asserentes Bullam non comprehendere dantes, vel recipientes post gratiam, vel iustitiam obtentam, quando donatio esset moderata.

2. Sed hanc limitationem non apponunt Scortia in Bull. Pontif. Epitome 125. Theorem. 333. Azorius par. 3. lib. 12. cap. 23. quest. 4. & alij. Et revera Bulla imponit pœnas danti, vel promittenti ad obtinendam iustitiam & gratiam; ergo dictæ pœnæ non sunt extendendæ contra dantes & accipientes post gratiam, sive moderatæ sint, sive non: nam obtenta gratia prohibitiones Bullæ non insciunt, si nihil ante promissum vel pacto firmatum sit pro gratia vel iustitia obtinenda. Et hanc sententiam tenet Baunius in Theol. Mor. par. 2. disp. 5. tract. 2. quest. 12. ubi mordicus probat post finitam licet non obstante Bulla Gregoriana licitum esse præbere munera Iudicibus.

3. Notandum est hic obiter cum Ioanne Antonio Novario in Bull. Pontif. par. 1. tit. de dato & promissis, num. 12. Ut non habeat locum pena hujus constitutionis extra Curiam Romanam, unde si aliquid daretur Neapoli pro obtinenda gratia à sancta Sede Apostolica, evitaretur hæc pena, & in terminis fuisse iudicatum per Rotam Romanam, ut testatur Seraphin. decif. 825. Vnde ego olim respondi, quod si quis daret aliquid alicui extra Romam, pro Cardinalitia obtinenda dignitate, non incurreret in penas Bullæ Gregorij XIII. de qua loquimur; licet si hoc faceret Romæ pœnas non evaderet, si Summus Pontifex hoc nesciret, nam ipso sciente, cessant pœnæ hujus Bullæ. Ita Novarius par. 2. eodem tit. n. 6.

Tom. V.

4. Notandum est etiam hic, secundum opinionem Stephani Baunij in Theolog. Moral. part. 2. disputat. 3. tract. 2. quest. 12. pœnas latis in Bulla Gregorij XIII. ad iudices delegatos citra Romanos non spectare. Ita ille.

RESOL. LIX.

An qui non denunciant delinquentes contra præfatam Bullam incident in excommunicationem?

Et an in hac ultima pena solum ligentur existentes in Curia Romana?

Et an qui aliquid ex prohibitis in hac Bulla faceret cum Summo Pontifice, vel cum ejus Ministris aut familiaribus de illius consensu expresso, vel tacito, in penas dictæ Bullæ non incidat?

Neque in his actionibus, quæ alioquin non essent prohibita jure divino, sed humano positivo, esset simoniacus? Ex p. 7. tr. 4. Ref. 11.

§. 1. AD hoc Dubium ita respondet Dicastillus de Inst. lib. 2. tract. 1. disp. 6. dub. 9. n. 250. Qui noverit delictum contra hanc Constitutionem, nisi intra triduum deferat Summo Pontifici, aut alteri, qui eidem Papæ fideliter denunciaret, ipso facto incurrat excommunicationem.

2. In hac ultima pœna docet Molina versu, cum omnes. Azorius supra quest. 8. ad finem. Navarrus notabili 22. num. 37. post Sylvestrum verbo excommunicatio, casu 33. solum ligari ea excommunicatione existentes in Curia Romana. Esset enim irrationabile, velle pauperes longè distantes à Curia Romana, vel à Sede Apostolica teneri illam adire ad denunciandos hujusmodi delinquentes. Quæ sententia omnino probabilis est. Sed adhuc probabilius videtur teneri, non quidem intra triduum cum id fere semper sic distantibus impossibile sit, teneri tamen cum primum possint. Neque enim existimo illam obligationem ita circumscripti triduo, ut si intra triduum non potuerit denunciari, cesset jam obligatio denunciandi; sed est obligatio, quæ semper urget ad eum modum, quo de præcepto annuæ Confessionis, & similibus docent Authores, & nos dicemus etiam elapso termino constituto perseverare obligationem non ulterius differendi; neque esse instar præcepti audiendi Missam in festo, quod elapso cesset jam obligatio, quia tunc impleta non fuit.

3. Accedit quod qui longè distant videntur obligari, vel ad denunciandum per litteras directas, vel ad Sum. Pontificem, vel ad alium fidelem Internuntium, qui illi denunciaret; vel si adsit propè monere potest verbo, vel scripto aliquem alium, quem spectet prudenter; fore ut ad Pontificem, aliumve ministrum, qui tandem Pontifici deferat, rem totam scribat, maxime si non longè distet Nuntius Apostolicus, Collector generalis & alij similes. Ita Dicastillus.

4. Non desetam tamen adnotare quod Bonacina tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 31. n. 18. & 19. observat, viros gravissimos sibi asseruisse Bullam quoad hoc usu receptam non esse: quod etiam novissimè docet P. Leo de Cens. Recoll. 4. lit. D. ver. dantes. Notandum est etiam hic obiter, quod qui aliquid ex prohibitis in hac Bulla & seq. in hoc faceret cum Sum. Pontifice, vel cum ejus ministris, aut familiaribus de illius consensu expresso, vel tacito in penas Bullæ non incideret, nec in his actionibus, quæ alioquin non essent prohibita jure divino, sed tantum vide alium humano positivo esset simoniacus. Ita Dicastillus ubi supra n. 235. & Bonacina.

Quoad hoc. & seq. in hoc sup. ex ref. 1. docet §. 1. & in fin. §. 2. & ejus not. prima.